
ÆSOPI PHRIGIS FABVLÆ, VERSIBVS DEſcriptæ, exque Horatio partim decerptæ, *partimper Alanum expreſſæ, recenſ*que auctæ, atq; emendatæ per Hunif. *Roydonnum* φιλίατρον *Art.* Magiſtrum.



LONDINI,
Excudebat H. Iakſoni.
1596.


INCHES
1
2
3
4

ÆSOPI PHRIGIS FABVLÆ, VERSIBVS DEſcriptæ, exque Horatio partim decerptæ, partim per Alanum expreſſæ, recenſque auctæ, atq; emendatæ per Humf. Roydonum φιλίατρον Art. Magiſtrum.

1. Gallus.

DVM roſtro pedibuſq; fimum ſubuertit vt eſcam
Quæritet: inuenta Iaſpide Gallus ait.
Te ſitit aurificum cœtus: te ſceptra requirunt.
Sceptra colas Iaſpis te quia ſceptra colunt.
Plus mihi ruris opes vrbis tibi copia præſtat
Plus quia grana placent plus tibi ſceptra valent.
Stultitiam Gallus, diuina oracula Iaſpis
Inſinuat. Fatuus nil ſapit iſta ſeges.

Probitas laudatur & alget.

2. Agnus & Lupus.

IMproba ſors agnum fluuio deſponderat imo
Cuius erat ſummo margine præſtò lupus.
Obijcit inſidias turbataque pocula fontis
Obijcit, & pecudi conſcia bella lupus.
Nec ſatis indignè eſt, miſero obreſtante reclamat
Hæc lupus. An loqueris furcifer? & laniat.
Infælix pecus atque impar congreſſus atróxque
Rex pecudum. Hos videas qualibet vrbe lupos.
Nam facilè arripere eſt cauſas vbi tela minaris
Arripere. Hoc facilè eſt perdere fuſte canem.

3. Mus & Rana.

MVris iter prohibente lacu venit obuia muri
Rana loquax. Inopem pacta iuuare nocet.

Al. Omne genus pestis superat mens dissona verbis:
Dum sentes animi florida lingua tegit.
Rana datis pedicis ponto se mergere. Vix mus
Emersit. Vires contulit ipse timor.
Miluus adest: vinctumq; duci rapit vngue clientem:
Dux sequitur: pœnas dúxque cliénsque dabant.
Vt caueant qui se prodesse fatentur & obsunt:
Admonet admistis fabula culta iocis.
Malum consilium consultori pessimum.

Eorundem duellum.

DEcernunt scirpis mus ranáque fortibus armis
Vtrius imperium & iura paludis erunt.
Quæstio vana fuit. Hic arte, hæc robore bellum
Sustinet: ancipitis concio plebis erat.
Obsidet incautos miluus. Heu regibus æqua est
Cura suæ litis: nulla salutis erat.
Virg. *Nulla salus bello est, pacem te poscimus omnes.*
Seditiosa cohors metuat sibi noxia tela
Præripere. Hos casus pertimuisse decet.

4. *Canis tranans.*

FErt canis inuentam carnē, sol commodat vmbrā,
Vmbráque vestit aquas, dum canis intrat aquas.
Iudicat esse canis falsa sub imagine veras
Effigies carnis, signáque captat aquis.
Ergo vndas sine carne rapit, sine corpore damnum
Corporis. Est Phrygij mentio vera canis.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Nec minor est virtus quàm quærere parta tueri.

5. *Leo.*

SPondent quisque fidē. Prędam fore cuilibet ęquā
Spondet ouis, spondent capra iuuenca leo.
Mox capitur ceruus. Captum leo diuidit: vnam
Iure tulit, reliquum vique dolóque rapit.
Vis ait excellens partem desiderat: illam
Dant socij. Et reliquum vult labor esse meum:
Dat meruisse labor. Nostra est mox quarta: fauorē
Disfuet

Diſſuet addatur pars niſi quarta meum:
Dant ſocij & quartã. Fruſtra eſt contendere. Primã
Iure tulit: reliquum iure leonis habet.
Nulla fides auidis victoribus, inter iniquos
Nulla fides: nullus religionis amor.
Quin ſocient certéntque pares.

6. Lupus & Grus.

VVlt lupus obſtructis remoueri faucibus oſſis
Fragmenta. Obtinuit multa daturus opem.
Nec prius obtinuit, precij quam freta rumore
Grus venit: & roſtro faucibus oſſa trahit.
Grus precium expectat: promiſſáq; pluribus vrget.
Nec precium exoluit, nec bona verba lupus.
Quippe ait eſto ſatis roſtro abſtinuiſſe: relictum eſt
Roſtrum ait, eſtque ſatis vita relicta lupus.
Reddere pro meritis iuſtus: vix ſoluere grates
Vir ſolet ingratus: vix bona verba ſolet.

7. Coluber.

DAt colubro hoſpitium tectis, dat ruſticus ædis
Vſuram: Hyberni contulit ignis opem.
Ille focillatas vires dum colligit, ignes
Concipit: acceptas concipit igne faces.
Concipit & vires, virúſque acceſſit, & vſque
Quaque rotat, donec fuſte coactus abit.
Seruata eſt per me temerè fera ſæuijt in me. *Claud.*
Vertere naturam gratia nulla poteſt. *Minois.*
Tritum eſt perire quod facis ingrato.

8. Aper frendens.

AVdet aſellus aprum riſu tentare procaci, *Al.*
Audet iners forti reddere (frater aue.)
Odit inurbanos apri prudentia geſtus:
Nec paſſa eſt craſſos craſſa Minerua iocos.
Ergo aſino hæc frendens: nota eſt inſcitia, ſpernit
Te quiſque & meritis inquit aſelle tuis.
Quam deceat fatuos ſublimibus ire theatris,
Sortiríque duces fabula pulchra monet.

Esse asinos quoscunque asinos sors improba fecit
Sus monet. Et munus quemque tenere suum.

9. Mures.

ACcipit vrbanum murem mus rusticus. Illum
Accipit vrbanus, mensaque lauta placet.
Laudat opes vrbis mus rusticus. Hospes vtrumque
Territat. Insinuans clauis vtrumque fugat.
Rodere malo fabam mus rusticus inquit, ineptus
Vrbis amor ciues vexat ineptus amor.
Vexat amor lucri ciues. Mihi rure beatum
Conferat esse quies: me quoque farra beent.
Pompa placet vrbique placent fastidia. Nobis
Plus sapit abiecto perna vorata metu.
Dixit: Et edoctus discrimina ruris & vrbis
Rus redit: impexas pergit amare casas.
Pauperies sine labe manens tutissima vita est.
Obruit immensas tristior vsus opes.

10. Aquila & Coruus.

FLuctibus erepta coclea venit obuia coruo
Dux aquila. Huic coruus talia dicta mouet.
Quod petis inclusum est. Saxo testudo resultet
Vt pateat votis quam petis esca tuis.
Hæc coruus. aquilæ placuit solertia magni
Latronis. Saxo coclea rupta patet.
Furta patent. Latitans medium cornicula piscem
Deligit. Ipsam aquilam nil nisi testa manet.
Fæx hominum indulgens ventri sibi vertere lucro
Commoda sic nullo parta labore solet.

11. Vulpes & Coruus.

CAseolum nacta est cornix: vulpecula prædam
Esuriens, corui prædicat eloquium.
Prædicat & formam. Sed si canere arte placeret
Plus ait ornaret musica vocis auem.
Credit auis: pictæque placent præludia linguæ.
Dum canit, indocto caseus ore fugit.
Hoc fruitur vulpes. Succedunt murmura. Coruo
Mitigat

Mitigat admisto damna dolore pudor.
Qui sibi plus iusto tribuit plus detrahit ipse
Sepe sibi: damnis ludibrijsque patet.
Noli homines blandos nimium sermone probare. Ca.

12. Leo moriens.

AFflixit miserum grauitas annosa leonem.
Spreta dolent pugili parta trophæa seni.
Coniurant proceres, sequitur plebs rustica ciuem.
Heu solo gemitu vindicat arma leo.
Quos vici vincunt omnes: Quibus ipse peperci
Nec mihi nunc parcunt pro pietate nocent.
Hos metuat casus qui se non fulsit amico, Al.
Nec dare vult fœlix quam miser optat opem.
Non bene conueniunt nec in vna sede morantur
Maiestas & amor.
Leta triumphantes soluat Britannia grates.

13. Asinus gestiens. *Affectatio.*

MOlliter indulgens genio colit otia palpans
Nunc lingua catulus nunc pede blandus herũ.
Commendat catulum Dominus. Cõmendat asellus
Blanditias: pedibus palpat asellus herum.
Displicet obsequium Domino. Iuuat ordo ministrũ.
Multa domant multo verbere flagra reum.
Quod natura negat nemo fœliciter audet.
Tu nihil inuita facies dicẽsue Minerua. Hor.

14. Leo stertens.

FRigida sopito blanditur silua leoni, Al.
Qua properat murum ludere prompta cohors.
Plebs incauta ruit. Capitur dux: rege rogato
Liber abit: regis munere tutus abit.
Nec fuit ingratus: regem mus casse reuinctum
Liberat. Hanc dentis munere præstat opem.
Tum cum summa potes ne despice parua potentem.
Sit piger ad pœnas princeps: ad præmia velox.

15. Miluus. *Alan.*

MOrbi mole iacet miluus. Matremque precatur

Vt superis pro se det sacra detque preces.
Mater ait: heu nate deos & sacra deorum
Lęsisti: recolunt impia facta Dei.
Criminis vltores pensant pro crimine pœnam.
Dum sacra turbasti pœna timenda fuit.
Te monuit timor esse pium: te pœna fidelem,
Heu timor & pietas cum nece sera venit.
Sic viuunt homines veluti mors nulla sequatur:
Aut velut infernum fabula vana foret.
Sera nimis vita est crastina viue hodie.

16. Hirundo.

NVtrit humus linum. Socijs persuadet hirundo
Vt rapiant auium semina sparsa malis.
Turba fugit sanos monitus: vanosque timores
Arguit. Exit humo semen & herba viret:
Rursus hirundo monet instare pericula: rident
Rursus aues Homines placat hirundo sibi:
Cumque viris habitans cantu blanditur amico.
Nam præuisa minus lædere tela videt.
Nunc metitur linum: mox fiunt retia: tum vir
Fallit aues: tum se conscia damnat auis.

Hesiod.

Perion. OPtimus est sese qui nouit cuncta magistro.
Ad finem vsq; videns quę semper sunt meliora.
Ille etiam bonus est alium qui recta monentem
Audit: & inuentis ponit vestigia lętus.
At cui consilium sua nec prudentia donat:
Inducitque animum voces contemnere veras:
Hic nunquam frugi fuerit, sed inutilis orbi.

17. Rana.

AMbitiosa cohors mentisque interrita ranæ
Sollicitare Iouem ne sine rege forent.
Iuppiter huic voto subrisit: at ausa secundas
Rana preces, subitum sentit in amne sonum.
Nam Ioue dante trabem tumuerũt flumina. Mergit
Rana metu, regem pertimuitque suum.

Attamen

Attamen hunc spernunt. Regẽ dat Iuppiter hydrũ:
Hydrum vt hiante gula posset obire lacum.
Exclamant morimur: nostri sumus esca tyranni:
Iuppiter exaudi, Iuppiter affer opem.
Ille refert emptum longa prece ferte magistrum:
Esto ait alterius qui suus esse nequit.
Seruiet æternum qui paruo nesciet vti.
Viue tibi & regum nomina magna fuge. Hor.

18. *Columbæ.* *Simplicitas.*

MIluus bella mouet. Pulsuris bella columbis
Iungitur accipiter. Rex magis hoste nocet. Al.
Incipiunt de rege queri. Quod dulcius esset
Milui bella pati quam sine marte mori.
Quicquid ages prudenter agas & respice finem.

19. *Latro.*

DVm facit insidias cautus, dat frustula carnis
Latro cani: frustra clamitat esse canis.
Frustra ait est frustũ quod porrigis: hostibus hostis.
Mendicis pueris hostibus hostis ero.
Nec rapiet nox vna mihi bona mille dierum.
Nec nos latronum turba secreta mouet.
Ergo age discedas inquit, tua furta loquemur
Ni facis. Egregia est vísque fidésque canis.
Est lingua medicus dominoq; fidelis amicus.
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. Hor.

20. *Sus.*

VVlt lupus vt pariat maturum succula fœtum:
Seque noui curam spondet habere gregis.
Sus ait hac cura careas, mihi nolo ministres:
Obsequium fugiunt viscera nostra tuum.
I procul vt tutos liceat mihi fundere fœtus:
I procul obsequij est pars male grata fames.
Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen. Ouid.

21. *Terræ tumor.*

TErra tumet, tumor vsq; gemit, gemitusq; mina(tur
Partum: nec modicus cœperat esse timor.

In risum tamen omnis abit quia turgida murem
　Terra parit. Iocus est qui fuit ante timor.
Sæpe minus faciunt homines qui magna loquuntur.
　Sæpe dedit nimios turgida causa metus.
Hor. *Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.*

22. *Canis vapulans.*

ARmabat natura canem pede dente iuuenta.
　Derogat infirmo tarda senecta cani.
Vix leporem captat: fauces lupus exit inermes.
　Illusum domini vindicat ira canem.
Clamitat ista canis. Mea dum bona pertulit ætas
　Nulla meum potuit fallere præda pedem.
Defendat senij culpam laus ampla iuuentæ.
　Quem iuuenem tuleris pellere turpe senem.
Gratus eram dum grata tuli: nunc marcidus annis
　Vileo. De veteri mentio nulla bono.
Nullus amor durat nisi fructus seruet amorem.
　Quilibet est tanti munera quanta parit.
Ouid. *Turpe quidem dictu est, sed si modo vera fatemur:*
　Vulgus amicitias vtilitate probat.

23 *Lepores.*

SIlua tonat, fugiunt lepores: Palus obuia cursus
　Impedit. Obuallant ante retroque metus.
Dum vibrant in mente moras, se mergere ranas
　Vt fugiant strepitus in sua stagna vident.
Corporis est leuitas, est mentis inertia nobis
　Dux ait. Et vano rana timore latet.
Spem decet amplecti. Causa est neq; iusta timoris:
　Ipse facit metui non metuenda metus.
Al. *Sic metuat quicunque timet ne mole timoris*
　Spe careat. grauis est hac fugiente timor.
Hor. *Rebus angustis animosus atque fortis appare.*
Sapienter idem contrahes vento nimium secundo
　　　　Turgida vela.

24. *Lupus caprizans.*

Al. CApra cibum quærens hœdum commendat ouili.
　　　　Admonet

Admonet immota seruet ouile sera.
Dumque abit ipse lupus mouet ostia voce caprina:
Postulat vt pateant ostia clausa matri.
Quin fugis hœdus ait; Caprizas gutture falso. *L.*
Rimula qua video te monet esse lupum.
Insita natorum cordi doctrina parentum
Hos iuuat, his iterum spreta nocere solet.

25. *Ceruus litigans.*

CEruus oui pręsente lupo sic litigat. Emptum
Vas tritici debes: Redde age mox precium.
Affirmat vera esse lupus. Ouis ipsa fatetur:
Atque die pacto debita spondet ei.
Tempus adest. Redeuns ceruus vult debita solui.
Clamat ouis. Pereunt fœdera pacta metu.
Nos decuit præsente lupo quæcunque fateri.
Nec scelus est fraudem pellere fraude pari.
Dum furor in cursu est currenti cede furori. *Ouid.*
Virtus quid in hoste requiris an dolus? *Virg.*

26. *Anguis.*

RVstica mensa diu susceptum pauerat anguem.
Gaudet & humanam vermis adorat opem.
Gratia longa fuit. Vapulat mox anguis. Egenus
Factus homo veniam postulat, anguis ait.
Nunquam ero securus cum sit tibi tanta securis. *Al.*
Nec iuuat infido rursus habere fidem.
Sed quod te piguit sceleris tua facta remitto.
Nec rediisse placet, plus sapuisse decet.
Qui primo nocuit vult posse nocere secundo.

27. *Vulpes lacessens.*

VVlpe vocante venit speratque ciconia cœnam.
Decipitur tenues vulpe vorante dapes.
Post aliquot delusa dies auis inquit habemus
Quę placeant vulpi fercula. Dicta placent.
Grus noua mox vitreo sic iuscula vase recondit
Vt capiat solam formula vasis auem.
Laudat opes oculis pellucida vasis imago.

Forma negat: geminant visus odorque famem.
Scilicet hac vulpes deluditur arte. Parique
Par factum est. Technis luditur vsa suis.
Fallere fallentem non est fraus.

28. *Lupus contemplans.*

DVm sculptoris opes lustrat, videt arte superbum
Humanum caput, id versat agitque lupus.
Scilicet egregios vultus capitisque decores,
Sed sine luce caput, sed sine voce genas.
Veráque doxa lupi est, animi caligo nitores
Corporis obscurat: vera sophia lupi est.
Nam si animo virtus si vera historia vanus
Absit imaginibus: formaq; nuda rei est:
Vmbra iocusq; rei est. Animi plus forma nitore est
Corporis. Est animi totus in orbe nitor.
Viribus hic praestat. Hic pollet acumine mentis.

29. *Graculus.* *Alan.*

GRaculus inuento nitidi pauonis amictu
Se polit. Et socias ferre superbit aues.
Non vult esse pares quas fert natura priores.
Pauonum generi plus petit esse comes.
Pauo dolum sentit. Falsi pauonis honores
Increpat. Et domitam verbere nudat auem.
Nuda latet: sociásque fugit. Nihil addere furtis,
Nec velle alterius fabula damna monet.

Hor.

Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas: moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

30. *Musca.*

MVsca mouens lites formicam voce lacessit:
Ornans se titulis turpiter ipsa suis.
Discito sed modico quid sit producere vitam:
Discito pace frui, discito sorte frui.

Nos

Nos labor exercet, vos nutrit inertia, nobis
Grana placent vobis luxus & vmbra nocent.
Quippe ait vt vetitum est cœlo volitare sereno:
Vel nece conficeris: vel sine fruge lates.
Obijcit hæc illi formica. Ea lite peracta
Destitit: in spumas conditur ista suas.
Turpia sunt turpi: sobrio sunt sobria verba
Digna magis.
Dum ætatis ver agitur consule Brumæ.

31. *Rana.*

ÆQuari vult rana boui: tumet ergo tumenti.
Carpitur: & nimij probra tumoris habet.
Attamen in ventris molem distenditur illa
Dum crepet. Imprudens præmia luxus habet.
Metiri se quemque decet: proprijsq; teneri
Finibus.

32. *Leo medicus.*

INcœptat medicis adscribi patribus: æuo
Iam grauis inceptat vincere fraude leo.
Sentit equus fraudes: sentémque euellere poscit.
Insilit in frontem calce leonis equus.
Sic iterum: sic sæpe cadunt: vbi fallere aperte
Non datur: insidias tectáque tela parant.
Curet seipsum medicus.

33. *Sonipes.*

GEstit equus phaleris. Videt hunc mox inguine (rupto
Vinctum asinus misero colla superba iugo.
Dic sonipes inquit vbi sella, vbi nobile frænum?
Hæc tibi cur macies, quô perit ille nitor?
Rettulit iste nihil asino iuga dura trahenti.
Proximat immodicus præmia gestus habet.
Quisquis ad eximios lætus conscendis honores
Sis humilis. Variat quælibet hora vices.

34. *Vespertilio.*

QVadrupedes certant auibus. Victoria nutat
Nunc huc nunc illuc, spésq; metúsq; viget.
Linquit aues quæ sumpsit auis de vespere nomen:
Et cupit oppositi castra subire gregis.
Degeneres animos timor arguit. Agmine primo
Dux aquila est. Trepidant castra inimica metu.
Vincit auis. Spoliata redit mox transfuga pennis,
Edictúmque refert ne nisi nocte volet.
Non bonus est ciuis qui præfert ciuibus hostem.

35. *Vulpes transfuga.*

DItat præda lupum. Vulpes contemnitur. Hostes
Conuocat, & pecudum prouocat illa duces.
Occidit ipsa suis vulpecula fraudibus. Hostis
Opprimitur. Pœnam post luit ipsa parem.
Iustaque fata tulit. Neque enim lex ęquior vlla est
Quam necis artifices arte perire sua.
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Tormentum maius.

36. *Ceruus.*

FOns erat argento similis. Sitis arida ceruum
Huc rapit. Haurit aquas, mox speculatur aquas.
Vt satis arridet ramosæ gloria frontis.
Sic minus atque minus tibia macra placet.
Cornua mox damnat, obstant ea fronde reuincta
Ne valeant morsus fallere crura canum.
O formose puer nimium ne crede colori.

37. *Vipera.* *Alan.*

VIpera fabriles dapis indiga reptat in ædes
Incipit hæc limam rodere. Lima loqui.
Nescis inepta meas vires mea robora nescis.
Dente meo pateris non ego dente tuo.
Ferrea mordaci castigo tubera pressu.
Aspera plano, seco dura, foranda foro.
Deliras igitur cum dente minaris inermi.
Maiori discat subditus esse minor.

38. *Fœdera.*

38. *Fœdera.*

POst varios martes ouibus sua pignora natos
Dat lupus. Has itidem deseruere canes.
Addit ouis sine fraude canes, recipitque luporum
Pignora pro canibus nec sua damna videt.
Nam natura iubet natos vlulare relictos
Matribus. Insimulans fœdera rupta lupus
Sæuijt in pecudem. Canibus fraudata ministris
Plebs ouium abiecto fœdera marte luit.
Nil temerè aggreditor.

39. *Silua Cædua.*

RVsticus vt liceat capulo formare securim
Postulat à siluis robora. Silua dabat.
Attamen ipsa suis cum decidit ictibus ipsam
Se damnat: donis nam iacet vsa suis.
Σαφὴς ἀπιστίας οὐδὲν χρησιμώτερον.

40. *Membra.*

OBijciunt auido manus & pes otia ventri:
Subscribunt membris cætera membra suis.
Spernuntur ventris partes. Mox venter inanis
Orat opem frustra: pesque manusque negant.
Pesq; manúsq; iacent: ventrem quia pésq; manúsq;
Despiciunt: pariter pésque manúsque cadunt.
Membra sumus ciues. Mutuum conferre fauorem
Nos decet. Et socium quemque iuuare suum.
Nemo sibi satis est.

41. *Simia.*

SImia de nuda queritur nate. Candida vulpes
Detur ait caudæ portio parua tuæ.
Respondit vulpes. Nec erit tibi causa decoris:
Nec teget immundas res ita munda nates.
Heu quoties inopes vexant opprobria gentis
Caudata? & nimis est & minus esse putat.

42. Cerua.

OCcupat arua canis. Fugiens hunc cerua bouina
Claustra subit: vos me condite bobus ait.

Bos cumulat fœnum. Præsepe reuisit arator,
Et redit imprudens. Ipsemet hospes adest.
Inuenit hic ceruam. Laniat. fugit illa caninos
Insultus: hominis fallere tela nequit.
Exulis est mutare locum. Vigilare potentis.
Stertere seruorum. Velle iuuare boni.

43. *Leo Febriens.*

ACcersit medicos summósque in febre magistros
Accersit: simulans pharmaca velle leo.
Abstinuit vulpes, pecudum vestigia cernit
Nulla retro, aduersum tendere multa videt.

Istam sic attigit Hor.

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia nulla retrorsum.

44. *Vulpecula.* *Hor.*

FOrte per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in camaram frumenti, pastáque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra,
Cui mustela procul, si vis ait effugere istinc,
Macra cauum repetas arctum quem macra subisti.

Ceruus & Equus. *Hor.*

CEruus equum pugna melior communibus aruis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frenúmque recepit.
Sed postquam violens victor discessit ab hoste,
Non equitem dorso non frenum reppulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret: Dominum vehet improbus atque
Seruiet æternum qui paruo nesciet vti.

Fabula grata iocis, magnis committere parua
Progreditur. Vatis mos fuit iste Phrygis.

FINIS.